UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Francisci Caietani Societatis Jesu

Gaetano, Alfonso

Excusa Pragæ, Anno 1668

Cap: III. Vocatur à Deo, & adijcit animum ad ineundam Religionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37359

Visual Library

templi ambitum. In quadraginta horarum precibus, ter quotannis peragi ſolitis, primus comparebat, deſtinatam ſibi horam expleturus. Obibat, ſaccum & manticam humeris impoſitam, atq; ſcrinium ligneum geſtans, ſtipem corrogando pro pauperibus, & in carcere conſtitutis, quam ubi auctario ſuæmet charitatis cumulaviſſet, ijsdem hilariter impertiebatur, ſive panis foret, ſive quid aliud eleemoſynæ nomine conquiſitum.

CAPUT III.

Vocatur à Deo, & adjicit animum ad ineundam Religionem.

INterim in exercitijs pietatis,

& alijs ſtatui ſuo cõgruentibus annos exigenti Franciſco, frate natu major, præclaras ipſius dotes naturales, & amabiles mores expendens, ſvadet conjugium. Sed cœleſtis Sponſus qui ſibi illum elegerat, abrupi cœpta jam conſilia, & admirabiliter, Franciſcum, ad vitæ Chriſtianæ puritatem traxit, motus ùt credere fas eſt, interceſſion illius, cujus petitis, nunquam non annuit, Reginæ, inquam cœlorum, ſub cujus patrocinium ſeſe receperat, & cujus honori dicandam, ſacræ ædis fabricam, pro viribus, ſuíſque ſumptibus, multùm promoverat. Cœpit igitur mundi vanitatem agnoſcere, & ſæpe ſomnum in lectulo capturus, videbatur ſibi
red-

reddere animam Deo, atque jam aſſiſtere divino tribunali, & excipere terribilem, Dei ſcelerum vindicis, ſententiam, ac æternis addici cruciatibus. Semper tamen juvenilis ætatis ardor, illum ab hujusmodi cogitationibus avocabat. Sed non recedebat ab eo, hominum amans Deus, & nihilominus illum veluti inſequens, acrioribus feriebat telis.

Itaque accidit, cùm venationis gratiâ, quodam die, ad campum excurriſſet, quod ipſemet jam Religioſus retulit, ut recipiens ſe, propter pluviam, in locum quendam coopertum, inciperet ibidem ſolus deambulando, ponderare brevitatem terrenarum deliciarum, quæ ſu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bitis quibusque caſibus inter-
rumpuntur, unáque ſolitum
Mariani Roſarij penſum exſol-
vere, pro impetranda ſibi effica-
ci gratia, ſe Deo ex toto corde
conſecrandi. Atque in ea ora-
tione illuminatus, ſemet ipſum
hunc in modum alloquebatur:
*Quid ago? quibus me magis ac
magis implico laqueis, neque ex-
tremum meum exitium perſpicio.
Cur non rumpo hunc nodum, qui
me vinctum tenet, neque provol
ad DEUM meum, qui me expan-
ſis brachijs præſtolatur? Si diu-
tius procraſtinavero, quò ulterius
fuero progreſſus, eò majoribus
difficultatibus involvar: Egóne
verò, qui jam omnem debueram
rupiſſe laqueum, novam collo meo
eámque fortiorem injiciam cate-*

*nam? Non poſſum ex memet Domine, non poſſum: ſed tuâ adjuvante gratiâ quid non poſſim? Mutanda mihi eſt, te, mi DEUS, propitio vita, atque iſthic eam mutare, & ardenter deinceps te amare decerno.*Ità lumine cœlitus accepto confortatus, ſtatuebat ſe velle ſequi JESUM, cujus amor, animas reddit illibatas. Verùm Princeps tenebrarum, ex adverſo, ſolitis ſuis artibus, prout ſibi eveniſſe, narrat in libro ſuarum Confeſſionum, devotiſſimus Auguſtinus, illi oggerebat difficultatem caſtitatis, aſperitatem pœnitentiæ, duritiem ejus vitæ, quæ videtur, utpote omnibus deſtituta, ſenſui adeò gratis delicijs, admodum eſſe gravis & moleſta. At-

tamen has inter, & illas cogitationes, divinitus illuſtratus, obſervavit iſtam intercedere differentiam, quòd poſteriores, poſt guſtum cujusdam dulcedinis, animam afficerent mœrore; priores autem, principio nubem quandam triſtitiæ illi offunderent, quam tamen ſtatim diſſipatam, cōſequeretur ingens lux ac tranquillitas: his ipſis porrò vijs, quibus aſtutus hoſtis, ipſum deſiderabat obcæcatum, ſuæ ſubdere ſervituti, à Divina Majeſtate, ad eam deductus eſt cognitionem, & horrorem fœditatum peccati, ac miſeriarum mundi, ut idcirco dixerit, Amitæ ſuæ, Eleonoræ, ex Baronibus Calvaruſi, ſe deſiderium, ineundi ſtatûs religioſi, concepiſſe.

Hu-

Hujus cœleſtis radij, primo magiſterio edoctus, prima condidicit Chriſtianæ perfectionis elementa. Arbitror, ipſum in has deveniſſe cogitationes, menſe Septembri, Anno Æræ Chriſtianæ 1591. ætatis verò ſuæ, vigeſimo ſecundo. Quia ex eo tempore, adeò contemptibiliter, de mundo loquebatur, ut apertè diceret, ſe velle ei nuntium remittere, atque ad idem faciendum, adhortabatur quendam alium, qui hoc mihi retulit. Cùm autem, prædictis laqueis, retineri non poſſet, alium illi Dæmon inijcere moliebatur. Accidit enim, ut comitaretur fratrem ſuum Marchionem, qui proficiſcebatur Panormum, ad celebrandum matri-

monium, cum Anna Carretta filia Hieronymi Carretti, Comitis Ragalmuti, viragine, non modò ſanguinis, verùm & prudentiæ, ac pietatis Chriſtianæ dotibus illuſtri: quâ occaſione uſus Veterator, nova illi oggeſſit obſtacula & motiva, quibus ipſum, à bonis propoſitis, retraheret. In hoc enim itinere ùt ſolet contingere hominibus otioſis, qui nondum omnino, à terrenis affectibus ſunt liberi, variæ cogitationes animo ejus occurſabant: quas inter, una erat: quid eſſet acturus, ſi mortuo Marchione, ſuo fratre, ſinè liberis, ipſe hæres fieret Marchionatûs? Et inani imaginatione ſe paſcens, acſi jam Marchio audiret, leges ferebat ſubdi-

ditis, dilatabat Dominium, procurabat novos titulos. Atque his diſcurſibus tempus terendo, appropinquabat Miſilmelio, qui erat Ducatus Vincentij de Boſco, Patruelis, octo paſſuum millibus, Panormo diſsitus, quando, veluti alter Saulus, cœleſti lumine perfuſus, internam vocem audivit, quæ interrumpens varias imaginationes, hæc illi objectabat. *O te mente captum! cur tempus diſſipas in ambienda mundi vanitate: tu, qui conditus es, ut cœlo potiaris? Quidquid hic deſiderare potes, & habere, eſt vanitas, quæ te ſatiare nequit. Exiſtima, te jam eſſe non paucorum, & exiguorum oppidorum, ſed grandium, ac populo refertarum Urbium Dominum,*

præ-

præcipuis clarere dignitatibus, quid aliud tibi accederet, quàm major moleſtia, in ÿs gubernandis; major ſolicitudo, in conſervandis; major timor perdendarum; major dolor, in ÿsdem tandem cum vita deſerendis; majórque difficultas reddendæ mihi ſtrictæ rationis, de perperam actis, & neglectis bonis. Non eſt felicitas tua ſita in poſſidendis, ſed in contemnendis rebus univerſis, atqui in eo, ut nihil aliud ames, aut quæras, præter me, qui ſolus te poſſum ſatiare, & reddere beatum. Has divinas voces, conſecutus eſt, Religioſus quidam timor (indicans præſentem DEUM, qui illum ad ſe vocabat) ac tum ſuavis animæ tranquillitas, clara vanitatum mundanarum cogni-

gni-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gnitio, deſiderium vehemens, earundem deſerendarum, affectus, & animus patiendi pro Chriſto: & imitatus S. Paulum, reſpondit DEO monenti: *Domine, quid me vis facere?* Acceptavit promptam oblationem DEUS, elegítque ipſum ſibi in ſervum, & replevit internè ſuâ divinâ luce; quia mutatus in hominem cœleſtem, cœpit cogitare, quomodo ſerviret, ac placeret ſuo DEO ac Domino. Tales cogitationes animo verſans, pervenit Panormum, ubi celebrabantur nuptiæ Marchionis Fratris, ſolennitate ac ſplendore, qui ſtatum ejusmodi Dominorum decet. Eâ occaſione, ſe probavit, in ludis dextrum & peritum Nobilem, in converſa-

ſationibus autem, probum Chriſtianum. Sed quia ſibi Deus cor ipſius, in templum aſſumpſerat, frequenter illum ad ſe accerſebat, qui voci, cœleſtis Magiſtri, obtemperans, à converſatione, quantumvis honeſta, ſe ſubducebat ad abditiſſima conclavia, ubi diſcebat diſcrimen, inter voluptates ac delicias, quibus ſervos ſuos cumulat Deus, & eas, quas ſuis ſectatoribus propinat mundus, quàm veræ, & jucundæ illæ, quámque fucatæ, & amaræ ſint iſtæ, quam cognitionem conſequebatur illarum amor, iſtarum autem timor. Mirabantur, & collaudabant præclaros, & ſanctos Franciſci mores, ceteri Nobiles, ac diſcebant, non eſſe difficile,

abs-

absque Dei offenſa, impendere interdum nonnihil temporis, recreationibus & oblectamentis ludicris, exigente id amore cognatorum, vel præcipiente Principum authoritate. Peractâ eâ ſolennitate nuptiali, ſolverunt triremibus Siculis, quæ Marchionem delaturæ erant Auguſtam, Sortino quatuordecim milliaribus diſtantem; ſed tam horrida tempeſtas eſt exorta, ut neque clavo obſequerentur triremes, nec propter efferatos ventos, regi poſſent vela, adeò, ut coacti fuerint, in incertum vagari, ſolius furentis tempeſtatis ductu, & omni ſpe deſtituti, præterquam illâ, quæ ipſis affulgebat ex cœlo. Atque creſcente cum tempeſtate pe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

periculo, creſcebat ſimul confuſio, augebantur etiam lamenta navigantium; hi gemebant quòd non ampliùs reviſuri eſſent uxores, ac filios; illi deplorabant imminentem vitæ jacturam: ſed Franciſcus noſter dolebat, intercepta eſſe bona ſua propoſita, quódque non poſſet agere pœnitentiam, neque DEO perfectiùs ſervire, quemadmodum decreverat. Recordatus autem prodigiorum, divinitus in aquis patratorum, in gratiam Iſraëlitarum, confidit ſibi non defuturam, in hac neceſſitate, divinam clementiam, & corde humili, atque contrito, DEUM eſt hujusmodi verbis affatus: *Mi DEUS, & mi Domine, qui es benigniſſimus, & cle-*

& clementiſſimus, nè reſpicias mea peccata, propter quæ caſtigari mereor; ſed expende merita Chriſti JESU, Filij tui, ac Servatoris mei: recordare illum eſſe mortuum, ut mihi promeretur vitam æternam: da mihi, te obſecro, per pretioſam ipſius mortem, nunc vitam temporalem; & promitto, memet totum tibi dare, quin & totam vitam meam conſecrare, amori tuo, ac ſervitio, in ea Regularum ſuarum obſervante Religione, in qua te à me amari, tibique me ſervire, tuæ Majeſtati maximè allibuerit.
Placatus fuit DEUS, preces humilium & pœnitentium, ſemper benignè & amanter audire ſolitus, qui per ea, quæ æſtimantur infortunia, confirmare amat, ac augere ſuas gratias: quo proin-
de

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de volente, ceſſaverunt venti conquievit mare, redijt ſerenitas, & triremes, reſumpto, quem cœperant, curſu, appulerunt Auguſtam. Inde excedens Franciſcus, infinitas, Servatori vitæ reddidit gratias, & conſtabilivit promiſſum ineundæ Religionis. Hinc abeuntes, pervenerunt Sortinum, Sabbatho ſancto, 28. Martij 1592, & gaudio repleverunt univerſos, qui, propter triſtiſſimum nuntium, de periculo, quod in mari incurrerant, magnopere fuerant afflicti. Verùm, Franciſcus ſtimulatus conſideratione recentium gratiarum, ſibi tam in terra, quàm in mari, à DEO collatorum, & memor promiſſorum, de ſemet penitus dedicando

Dei ſervitio, absque mora quæſivit D. Marianum Giaccum, qui illi erat à Confeſſionibus, Virum æquè doctum, ac pium, ut ipſi animi ſui ſenſa exponeret, conſiliúmque ab ipſo caperet, quid ſibi agendum foret, ad placendum Deo: & inventum, verbis, plenis cœleſti lumine, in hæc verba allocutus eſt: *Multum jam temporis eſt, mi Pater, ex quo me DEUS vocat, egò verò vocantem non audivi: ſed uſque adeò invaleſcunt ejus voces, ut illis ampliùs reſiſtere nequeam: ſtatui, tranquillandi animi ergò, deſerere patriam, cognatos, facultates, & abire Romam, ibique nomen dare Religioni, Patrum Capuccinorum.* Nihil, his dictis gratius, Confeſſario poterat acci-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cidere: probavit ſanctum propoſitum, animavit illum ad confidendum in Deo, quòd amoliturus eſſet omnia impedimenta, monuítque, ut ſuperſederet cogitatione, proficiſcendi Romam, ne vocationem periculo exponeret, ipſámque vitam cùm poſſet, in Sicilia, ubi noſceretur, faciliùs & celeriùs, ſatisfacere ſuo deſiderio. Obedivit animo docili, & ſequutus eſt conſilia, optimi, conſcientiæ ſuæ, arbitri. Interea, antequam illi concederetur potiri, exoptatâ Religione, noluit tempus perdere, quin daret bonum principium, perfectioni Chriſtianæ, & inchoavit, à generali, peccatorum, totius vitæ, exomologeſi, ſemper utili, & ſæpe neceſſario

fun

fundamento, volenti in ſuo corde, extruere magnificum templum Divinæ Majeſtati, ad ejus honorem & gloriam abſolutam. Aggreſſus eſt iſthanc erratorum expiationem, tanquam negotium maximi momenti, ad ſalutem ſuæ animæ, & cùm juſta de cauſa, tum ob communem lætitiam, tum ob amicorum, & parentum viſitationes, eam poſſet differre, donec præterlaberentur feſta paſchalia, noluit: ſed poſtridie ſui adventûs, omnibus alijs rebus prætermiſſis, dies aliquot continuos, luſtrationi conſcientiæ dedit, eosdémque, omni cum diligentia & fervore, exegit. Nec ſe ſuperari ſinens, ab affectu famuli ſui, liberalitas

Regis cœleſtis, replevit illum
copioſo, & efficaci lumine, qu
colluſtratus, agnovit fœdit
tem peccatorum, uberes prof
dit lacrymas, concepit inge
odium ſuiipſius: & non co
tentus, mulctare ſe pœnis co
ſvetis, inſolitas quasdam adi
venit; quæ, ſpectatâ delicatâ
lius complexione, & conſid
ratis circumſtantijs tempori
utpote feſtivæ Anaſtaſis Dom
nicæ, cenſeantur importunæ,
inconſultæ; ſed æſtimato ipſi
ardore placendi ſuo Deo, ſu
exiguæ, & expenſo igneo ſpi
tu Dei, à quo regebatur, ſu
ordinatæ ac opportunæ.

Sanctus erat ardor, quo ſe i
teriùs ſentiebat uri, ut indu
ſacco, nudis pedibus, è dom

egr

egreſſus, & oppido, perambulaverit ſolitarios campos, cum S. Maria Magdalena, inter lacrymas & ſuſpiria, quærens Dilectum ſuum Jesum. Atque feriâ ſecundâ & tertiâ Paſchatis, tantopere in meditandis ſuis peccatis exarſit, ut neque diei, neque perſonæ propriæ ratione habitâ, poſt meridiem eâ horâ, quâ Chriſtus eſt crucifixus, coopertus rudi ſacco, nudipes confecerit iter trium milliarium, ad ſanguinem uſque ſe flagellans, pérque tres ſtationes, ad Eccleſias ſanctæ Sophiæ Virginis, totius oppidi, & peculiariter ſuæ Patronæ, & S. Petri, ac Deiparæ ab Angelo ſalutatæ, ut ſibi gratiam impetrarent, & amorem Divinæ Majeſtatis: re-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diitque, totus proprio ſangui
perfuſus, & lætus propter vin
ctam ſumptam de ſua carne,
que etiam ob imitationem Chri
ſti flagellati. Tali præmiſ
apparatu ac dolore peccata co
feſſus, aſſequutus eſt conſcie
tiæ pacem, animi gaudium,
vos ac vividos amoris & co
fidentiæ erga DEUM affect
Placuit etiam DEO, excitare
contemptum mundi, Fran
ſcum noſtrum, cogitatio
mortis, ſicut fecit B. Franciſ
Borgiæ, Duci primùm Gandi
dein tertio Generali Societa
JESU, quem ex aſpectu vult
Iſabellæ Imperatricis, Conjug
Caroli Quinti, turpiter per mo
tem deformati, à pompis ſæc
laribus, traxit ad hanc min

ma

mam Societatem. Erat in Marchionis domo, Juvenis quidam, nomine Petrus Speranza, moribus amabilis, & affectu ſincero, dilectus à Franciſco, qui obijt morte propè repentinâ, poſt breviſſimam infirmitatem. Cujus defuncti cadaver, viſurus Franciſcus, conclave ingreſſus, ultra modum eſt compunctus, atque ut cooperaretur interno motui Divini Spiritûs, ſinè impedimento, occlusâ januâ, & ex propoſito contemplabatur illum, qui paulò antè, inſtar formoſi floris erat ſpectabilis, jam verò decolor ac pallidus, & in eo mortis ſpeculo, illi repræſentavit DEUS brevitatem, & vanitatem vitæ præſentis, atque per vultum illum turpem, & ve-

hementer defœdatum, ingen
ravit ipſius cordi ingentem ho
rorem, omnis fallacis,& mort
lis pulchritudinis, unde lar
illacrymans, inter profunda ſ
ſpiria, è compuncto corde pr
fecta, ſibi ipſi dicebat: *Quid*
gimus, anima mea? quouſque
mabimus vanitates,& ſectabim
bona apparentia? Ah! deſeram
hæc vana, quæ cum vita perdu
tur, & eamus inquiſitum verit
tem. Vita hæc eſt miſera, mo
incerta, quæ ſi ſubitò,& ex impr
viſo te aggrediatur, miſerum t
quomodo te tueberis? non er
ultrà, poſt obitum, tempus pœni
tendi; ſed luendi acerbiſſimas p
nas, pro commiſſis peccatis,& n
gligentijs, in emendanda vita,
Divino ſervitio amplectendo. pr

ut

veniamus igitur mortem; ut moriamur ſanctè, moriamur mundo, & quæramus DEUM, ac vitam beatam. Indè egreſſus, operam dedit tumulando corpori, & animam juvit pijs Miſſarum, precum, & eleemoſynarum ſuffragijs. Hæc omnia accepi à Patre noſtræ Societatis, cui à Franciſco, jam Religioſo, fuerant narrata.

CAPUT IV.

De nova vitæ mutatione, quam inſtituit, déq; ejus pœnitentijs, & orationibus.

AD confirmandum decretum, Deo perfectè ſerviendi, addixit ſe, deditâ operâ, oratio-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN